SCHOLASTICOS IN REP. NIMIS *eſſe multos iniqua eſt querela.*

ET potuit nimios Academia fundere fructus?
Et nimiæ nomen fertilitatis habet?
Et quiſquam doctis, doctaſque colentibus artes,
Qui, nimium multi, diceret, eſtis, erat?
Aſpicis innumeris oppreſſam piſcibus vndam:
Non carpit numerum, quem tulit, vnda ſuum.
Aſpice nutantem granorum pondere ſpicam,
Spica tamen leuius ferre recuſat onus.
Et noſter cœtus, quamuis numeroſior eſſet,
Semper erat patriæ ſarcina læta ſuæ.
Bella gerant? pax eſt: quid flammas quæris in vndis?
Sed, fuerint illis bella gerenda, gerent.
In ſtudijs Pallas, Pallas præſtabat in armis:
Vna potens Martis Pallas, & artis erat.
Qui quondam ſitiens medijs arebat in vndis,
Ille queri nimias debuit æger aquas.
Ferretur Midas fuluo ieiunus in auro,
Si queſtus nimias ille fuiſſet opes.
At nimium quæruntur opes, arteſque queruntur:
Hic nimios quæſtus, hei mihi, queſtus habet.
O Fœlix numero tellus: fœlicior, hoſtes
Si nullos numeri redderet ipſa ſui.
Vna ſolet fruges, & frugum fundere peſtes
In pœnam tellus luxurioſa ſuam.
Quin vtinam poſſet doctorum turba ſuorum,
Inuidiam turbæ promeruiſſe ſuæ.
Si modo ſylueſcit, facile præciditur arbos:
Et reprimi curua vimina falce ſolent.
Sed cùm deficimus numero, numeroq; premamur:
Quòd careat vero veſtra querela, queror.
Obruitur morbis medicus, nec ſufficit illis:
Vincitur orator litibus ipſe ſuis.
Aſpice præcones raros: vt vite falerna
Cum ſupereſt ſocijs vua relicta ſuis,
Quid numerem viduas aras, elinguia roſtra.
Si numerem, numero cedet arena meo.
Deficit & templo vates, & paſtor ouili
Et ſuperat falces meſſis opima ſuas.

ERGO.

Qui nimium multos ſtudiorum cenſet alumnos,
Eſt nimium numero multus & ipſe ſuo.

Anima non eſt ſenectus.

Cum prope condiderat, qui condidit omnia, mun-
Et bene mouiſſet, quod bene cæpit opus; (dum,
Omnia, dixit, erunt; & erant, quæ dixerat ille;
Mortis erunt, dixit, omnia: mortis erant.
Præter, & adiecit longo poſt tempore, mentes,
Sic, præter mentes, omnia mortis erant.
Dixit: & æterni venturis hoſtibus æui
Ex animis mentes ſuſtulit antè ſuis.
Ergo cum ſilices ætas, cum ſaxa vetuſtas,
Corpora canities, marmora tempus edat:
Sic ætas animis, animis annoſa vetuſtas,
Vt teneris vinis longa ſenecta, nocet.
Et proſunt animis & proſunt tempora vinis:
Vtraque ſunt annis vtiliora ſuis.
Floreſcit ſæclis, longiſque vireſcit ab annis
Nec ſpatijs animus carpitur ipſe ſuis.
Qui vetus innumeros Pylius vixiſſet in annos:
Dimidia tantùm parte ſenilis erat.
Dum Milo ſpectauit fluidos pendere lacertos,
Ferte nouum corpus, vitricus, inquit, ero.
Qui facie rugas, Cygneas crinibus alas,
Et tremulum gelido frigore corpus habet:
Parte ſenex meliore viget: quam nulla ſenectus
Frangere: quam tabes lædere nulla poteſt.
Obſtruitur membris animus: ſic ſplendida Phœbi
Sæpe ſub inducta lumina nube latent.
Sæpe ſuo nocuit rectori Cymba: Domuſque,
Sæpe fuit domino pernicioſa ſuo.
Vidiſſet facile, ſi quid vidiſſe volebat,
Anchiſes oculos nactus, (Iule) tuos.
Et miſer Actæon curſu velocius ibat,
Impoſitus veſtem, ſæua Diana, tuam.
Dædalus eſt alis ſenior, Schœneïa talis,
Et Lyncêus, lyncei lumina nactus, erit.
Nam nouus, & ſemper longis florentior annis
Spiritus officium promptus in omne manet.
Qui poſſet plures, quò plures poſſidet artus,
Si Samium verum credimus eſſe ſenem:
Exutuſque pigræ ſqualentia membra ſenectæ
Vt ſumpta ſerpens pelle recente, nitet.

ERGO.

Qui putat annoſam ſenio tabeſcere mentem,
Pace ſua, dicam conſenuiſſe ſuam.